

tum oculis, qui in alendo puero vigilantissimum semper studium adhibuerint, tam inopinata sese Iesus subdlexerit, cum diversæ ab interpretibus afferantur, multæque aliæ accidere potuerint, hanc nos veriore esse putamus; nimirum quod illi Hierosolymis recessuri una cum cognatis & notis ac reliquo comitatu, ceteris præcedentibus improvisâ aliquâ, sed Dei providentiâ obortâ occasione detenti, mox velociter consecuturi præmiserint (quod Evangelista insinuat:) cum cognatis & notis puerum IESUM; qui paululum cum illis progressus, non autem civitate egressus, veluti parentum cupidus, vel loco steterit illos expectaturus, vel ad illos rediturus hospitium versus tendens iter alio flexerit.

Inventus autem à parentibus (inquit Lucas) descendit cum eis Nazareth, & erat subditus illis; his duobus verbis totam Christi adolescentiam ac iuvenrtem perstringens, ut nihil præterea de eo scriperit vel ipse, vel ex ceteris Evangelistis aliquis alius. Cetera enim quæ ex libro de Infancia Salvatoris, vel ex aliis eiusmodi apocryphis sunt accepta, non probat, qui nimmo repudiat Dei Ecclesia: qualia ridicula quædam commentos esse Valentiniânos hæreticos, testis est etiam Irenæus. Porro infervisse Christum adulem nutricio Ioseph, eidemque fabro, in fabrilis exercitatione, testimonio Iudæorum vocatum illum Fabrum, exploratum habetur apud Marcum Evangelistam: & his consentiens Iustinus Martyr ait, ipsum fabrilis opera, aratræque, & iuga confecisse. Vnde & forte (quod tractant fabrilis fabri) sub iugi & aratri symbolis verbis Evangelium proposuit, cum dixit, Tollite iugum meum super vos: Et, Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

Sane quidem, quod ad Ioseph spectat; si tam grandæve ætatis erat, nempe (ut ait Epiphanius) fortassis octogenarius cum Maria Virgo illi est desponsata, iam in Christi adolescentiâ decrepita fuisse ætatis, & ad subeundos labores fabrilis artis minus idoneus existimari posse videtur: adeo ut lignariæ officinæ labores omnes refunderentur in IESUM, atque eo magis si eidem auctori acquiescimus, dicenti Ioseph post respectum IESUM in templo haud multo post ex hâc viciâ migrasse, & propterea in Evangelicâ scripturâ nullam amplius de eo haberi mentionem. Scimus tamen esse qui velint Ioseph hoc tempore adhuc fuisse iuniorem ad subeundos peregrinationis labores, quasi videlicet non potuerit esse senex robustarum virum, nec infra ætatem robur à Deo promereri valuerit. Certe quidem nec nos affirmamus eum fuisse octogenarium cum desponsata est illi Beatissima Virgo (quod nec ipse Epiphanius nisi dubitanter asseruit; verum tamen libentius illorum in hæremus sententiæ, qui traditione quædam per singulas ætates ad posteris deducit, affirmant illum maturioris fuisse ætatis cum Sanctissimam Virginem, etsi in coniugem, tamen in custodiam fidissimam suscepit; sicut & illis magis assentimur, qui una cum Epiphanio eum dicto tempore diem obiisse asseruerunt, quam ceteris qui post resurrectionem Domini adhuc fuisse superstitem tradiderunt. Certe si Christi passionis tempore Ioseph superstes fuisset, haud

dubium non Ioanni matrem Domitus commendasset, cui superesset fidissimus ac probatissimus cultos Virginittatis.

Quod ad res attinet Romanas; his iisdem Consulibus contigit memorabilis illa *Variana Clades* in Germania, cum Romanus exercitus sub Vato (qui anno superiori è Syria avocatus, & ad administrandam Germaniam mandatus, dum asperè nimis barbaram illam gentem tractaret, ad defectionem impulsus) est penitus profligatus; quâ accepta idem Varus sibi ipsi intulit manus: duas meritas pœnas de expilatâ à se Syria: quam (ut ait Velleius) divitem ipse pauper ingressus, dives egrediens pauperem reliquit. Profecuti sunt hæc pluribus idem Velleius, Suetonius, ac Dio: quibus videas, quam insigniter Orofius lapsus sit, dum Cladem Varianam ante Christum natum accidisse commemorat.

IESU CHRISTI AN. 13. 14. 15.
AVGVSTI IMP. AN. 54. 55. 56.

ANNO CHRISTI decimo tertio Consulatum inierunt M. Æmilii Lepidus & T. Statilius Taurus: sequenti vero T. Iulius Germanicus & Fonteius Capito: & decimo quinto C. Silius Nepos & L. Munatius Plancus: quibus nihil dignum reperitur ad institutum nostrum pertinens.

IESU CHRISTI AN. 16.
AVGVSTI IMP. AN. 57.

ANNO CHRISTI decimo sexto, duobus Sextis, iisdemque Nepotibus, Pompeio & Apuleio Coff. Archelais Ethnarcha nono principatus sui anno, Romæ à Legatis Samaritanorum ac Iudæorum de nimia crudelitate ac tyrannide iudicio postulatus, & ab Augusto accersitus, Viennam Galliarum civitatem in exilium mittitur, pecuniâ eius fisco adiudicatâ, & ditione universa Syriæ iunctâ: ad quam gubernandam missus est Procurator Coponius Eques Romanus. Hæc pluribus Iosephus, qui tamen sibi parum constans, alibi dicit id accidisse anno regni Archelai decimo; longæque ante hæc tempora collocat, secundum initium semel errorem annorum Herodis patris Archelai: sicut & perperam Dio relegationem Archelai, quem nominat Herodem, ponit sub Consulatu M. Æmilij Lepidi & L. Arruntij, anno ab V. C. septingentesimo quinquagesimo nono. Ceterum assentitur nostræ huic Chronologiæ Eusebius, quæ scimus ea quæ huius sunt temporis esse mutatum à Phlegonte Chronographo omnium antiquissimo ac famosissimo. Eusebium vero securus est Beda, & alij nobiliores Chronographi. Porro ex damnatione Archelai certior causa redditur, cur Ioseph reuersus ab Ægypto noluerit in Iudæam venire, audito quod illic regnaret Archelaus. Non enim extimuit successores Herodis, cum & in Galilæâ quò secessisset idem filius Herodis regnaret Antipas, sed timuit Archelai tyrannidem iam omnibus notam.

Idem Coff. decimo quarto Calendas Septembris (quâ die quondam primum Consulatum

IV.
CLADES
VARIANA

h Vel. in hist. Rom.
i Suet. in Octav. ca. 33.
k Dio lib. 56.
l Orof. lib. 6. cap. 21.

I.
a Dio lib. 56.

I.
ARCHELAVSDAMNATUS EXILIO.

a Ios. 2. de bel. 6. & 7.
b Id. 17. an. 15.

c Dio lib. 56.

d Euseb. in Chr.

e Matth. 2.

II.
AUGUSTI IMP. OBITUUS.

inierat

II.
IESU IN
VENTUTE
EXERCITIA

b Item lib. 1. cap. 7.
IESU FABRIS.

c Mar. 6.
d Ios. 2. de bel. cum Tryph.

c Matt. 23.
Luc. 9.

III.
EPIPH. HER. 78.
DE ÆTATE IOSEPH.

OBITUUS IOSEPH. g auctor de oper. Card. ap. Cyr. 8. Aug. ser. de temp. 81.